
Pace di Casalino fra Novara e Vercelli con la quale, fra l'altro, si stabilisce che tutti i diritti acquistati da Vercelli sulla Valsesia siano rimessi a Novara (25 maggio 1194).

FONTI. — A. Orig. manca. — B. Copia del sec. XIV in *ACV, Pacta* f. 81. — C. Copia del sec. XIV *ibid.*, *Bisc.*, III, 76. — D. Ediz. in *Mhp.*, *Ch.* I, col. 1012-16. — E. Ediz. in *BSSS*, XCVII, n. XLVIII p. 101.

MET. DI PUBBL. — Si riproduce B.

(S. T.) Anno dominice incarnationis milleximo centesimo nonagesimoquarto, indictione duodecima, die mercurii VIII kalendas iunii. In nomine domini. Talis concordia fuit inter Martinum Bicherium et Bombellum Bazanum et Vuillielmum de Bigerracano et Iacobum de Guidalardis consules comunis civi

tatis Vercellarum, nomine eiusdem comunis ex una parte, et inter Opizonem de Briona et Iacobum Lavigium consules comunis civitatis Novarie, nomine eiusdem comunis ex alia parte, ut infra legitur, scilicet quod omnes Vercellenses et Novarienses, a quindecim annis supra et a LXX infra, hostiatim debent iurare adiuvari se ad invicem contra omnes personas, excepto domino imperatore, bona fide sine fraude, illi persone sive personis, seu loco vel locis, cum quibus Novarienses guerram habent vel habuerint, Vercellenses, ad octo dies postquam eis fuerit requisitum, debent eis facere guerram vivam, nec de ipsa guerra debent facere pacem nec treguam nec aliquam concordiam neque guerram recrudutam, sine parabola consulum Novarie omnium vel maioris partis, data per consilium credencie totius vel maioris partis congregate per campanam pulsatam, nec infra illos octo dies auxillium vel consilium eis prestare debent. Hoc item facient Novarienses Vercellensibus. Item Vercellenses et Novarienses bona fide et sine fraude debent tenere Blandratum destructum, et bona fide dare operam ne rehedificetur nec consimile fiat, et si aliquis rehedificare vel consimile facere voluerit, bona fide debent prohibere. Comites Blandratenses, qui modo sunt vel pro tempore fuerint, ipsos nec eorum heredes, pro habitatoribus seu pro vicinis non tenebunt, nec de cetero recipient Blandratenses, neque homines habitatores in locis de Blandrate pertinentibus, pro habitatoribus non recipient, nisi illos qui in Vercellis habitaculum quondam iuraverunt, quos recipere debent Vercellenses, si infra proximum festum s. Martini, in civitate Vercellarum cum tota sua familia ad habitandum perpetuo venerint, et nisi illos qui in Novaria habitaculum similiter iuraverunt, quos similiter recipere debent Novarienses si, infra predictum festum s. Martini, in Novaria vel in suburbiis cum tota familia sua ad habitaculum perpetuo venerint. Et si aliqui utriusque civitati iuraverunt, illa civitas cui prius iuraverunt eodem modo ut supra legitur debeat eos recipere et altera civitas eos recipere non debet. Post predictum vero terminum nulla superscriptarum civitatum aliquem Blandratinensem nec habitantem in locis ad Blandratum pertinentibus recipere debeat, et habitaculum eorum utraque civitas renunciare debet, nisi re-

manserit comuni consilio consulum vel potestatum utriusque civitatis et credencie totius vel maioris partis per campanam congregate. Fodrum, carrigium et hostalitiā et alia que ad iurisdictionem pertinet a Blandratensibus et ab habitantibus in locis ad Blandratum pertinentibus recipere debent comunitē Vercellenses et Novarienses, de his accipiendis bona fide, in concordia venire debent, et si in concordia venire non potuerint, liceat cuilibet suprascriptarum civitatum auferre eis pro fodro usque ad libras quinquaginta imperialium, et carrigia et hostalitiā ab eis exigere. Conventiones et pacta, si qua Vercellenses fecerunt de valle Sicidæ (*sic*) cum comitibus Blandrati, sive cum hominibus de vale Sicide, et omne ius quod habent in valle Sicide remiserunt Vercellenses Novariensibus, salvis possessionibus singulorum hominum, et si que pacta vel conventiones fecerunt Novarienses cum aliquo vel aliquibus ultra Sicidam versus Vercellenses, et omne ius et omnem iurisdictionem quod vel quam Novarienses habent ultra Sicidam versus Vercellenses, remiserunt Novarienses Vercellensibus, salvis possessionibus singulorum hominum, et Vercellenses remiserunt Novariensibus omnem iurisdictionem et omne ius quod et quam habent citra Sicidam versus Novarienses a Blandrato superius, salvis possessionibus singulorum hominum, A Blandrato vero inferius, remiserunt Novarienses Vercellensibus omne ius et omnem iurisdictionem quam vel quod Novarienses habent in episcopatu Vercellarum, salvis possessionibus singulorum hominum; Casalegium et Galgarengum teneant Novarienses sicut tenent, et Vercellenses teneant Casalevalonum sicut tenent. Neutra suprascriptarum civitatum bannitos alterius tenebit nec recipiet, et de sua virtute eos bona fide expellet, et eos capiat si requisitum fuerit. Item Vercellenses et Novarienses debent personas, et res omnium suprascriptarum civitatum bona fide salvare in civitate et in eorum poderio. Item non debent comune Novarie nec comune Vercellarum levare pontem supra Sicidam ab Odenico superius per quem possint transire plaustrum et bestie sicut bos, equus, asinus nisi communi consilio utriusque civitatis, et si levaretur sine consilio utriusque civitatis, liceat cuique suprascriptarum civitatum prohibere ne levetur, nec altera civitas

facientibus illum pontem auxillium vel consilium prestare, sed liceat eis levare talem pontem supra aquam illam per quem pedites tantum transire possint. Item liceat illis de Romagnano habere naves in Siccida quot volent. Haec (*sic*) omnia suprascripta et alia que addentur consensu utriusque civitatis ita observare debent usque ad quinquaginta annos, et singulis quinquenniis sacramentum istius concordie utraque civitas renovare debet. Item consules suprascriptarum civitatum hanc concordiam suprascriptam iurabunt attendere et firmam tenere et consulibus sequentibus hoc idem fatient iurare singulis annis, usque ad predictum terminum quinquaginta annorum, et in brevi super quo iurant consules et potestates suprascriptarum civitatum facient hoc sacramentum apponi. Hec omnia attendent Vercellenses salvis hominibus Taurinensibus et Astensibus et Iporiensibus, salvo eo quod si Yporienses offenderent Novariensibus et per Vercellenses emendare nollent infra mensem unum postquam Vercellensibus foret requisitum, tunc deinde Vercellenses non debent adiuvere Yporienses nec opem sive consilium eis prestare contra Novarienses, neque Novarienses prohibere ire per terram suam ad offendendum illis, et si aliquis qui modo habitat vel pro tempore habitaverit in civitate Yporregie offenderet Novariensibus et per Vercellenses eis satisfacere nolent, debent Vercellenses deinde Novarienses adiuvere. Haec (*sic*) omnia ut supra legitur attendent Vercellenses et Novarienses salvis Mediolanensibus et salva generali societate Lombardie. Hanc enim concordiam sicut supra legitur predicti consules Vercellarum et Novarie iuraverunt attendere et firmam tenere et facere alios consules et cives bona fide hoc idem iurare. Item de pace Novarie ibi iuraverunt predictam concordiam attendere et firmam tenere Albertus Bonipertus, Lisiardus causidicus, Gregorius de Seso: de pace autem Vercellensium hoc idem iuraverunt Iohannes de Benedicto, Bonifatius de Ugutione, Bertholameus Carosus consul societatis Sancti Stephani: unde plures carte in uno tenore scribi rogaverunt. Actum in ecclesia sancti Petri de Casalino.

Interfuerunt testes d. Robaldus Torniiellus et Martinus Gerenzanus, Philippinus Bruxatus et Maza servitores consulum

Novarie, item et de Alexandria, et Tibertus et Bonusiohannes
missi consulum Vercellarum.

(S. T.) Ego Ambrosius Ansisus notarius iussu Lantelmi
notarii hanc cartam ab eo traditam scripsi.

(S. T.) Ego Lantelmus predictus hanc cartam scribi feci et
subscripsi.